Pax christi.

Senatui bremensi [Senatui Bremensi] .110.

Nr. 217) [= Moer. a. 72: Nr. 193]

Clarissimi viri, et prudentissimi quos veneror, et colo. Jam anni novem
fluxerunt, postquam in huius inclytae Reip: scholam, vestris auspiciis freti,
pedem intuli, et grave hoc onus Scholasticae gubernationis in me recepi:
Interea hoc egimus sedulo, primum ut leges Dei, religioque, et cultus in Scholis
vigerent, deinde ut optimis artibus, optima ratione, et via, non agri cultura
tis huius, et fundi: Sed vestri, et aliorum, etiam hominum liberi excolerentur,
ut parvo labore suo, puerili, exiguoque tempore, puerilium disciplinarum Sci
entiam, et fructum consequi possent. Neque defuit sane Dei omnipotentis
benedictio, qui fideles conatus, laboresque nostros provexit, et multis, tum civibus,
tum etiam peregrinis fructuosos reddidit. Ad me vero quod attinet, atque
ad meam rem familiarem in his annis novem, quattuor fuerunt uberes,
et frugiferi, qui laborantem agricolam liberaliter aluerunt: quinque autem
proximi manci extiterunt, et frugum vacui, et (quod dicendum hic sit) ingrati,
quibus ager noster Scholasticus, huic avido colono, nihil praeter spem, tribulasque
produxit, et superiorum annorum omnem ubertatem consumpsit. Appellavi
subinde Agricolationis nostrae praesides, non importune quidem: attamen serie,
et cum opus esset, negabant esse oleum in lecytho. Mihi vero illud, quod in
satyra est, nonnunquam in mentem veniebat, Poenitet multos vacuae sterilisque cathe
drae. Certe nisi aliunde aliquot praeterea Juvenibus, quae res aerumnas meas
multiplicabat, in ista vero omnium difficultate, quasi foris, et παρόψως quaere
rem panem, vix me, meosque, a fame defenderem. Nunc itaque ad vos viri opti
mates, atque ad vestram benignitatem confugio. Intelligit vestra prudentia libera
li eruditione, et linguarum, artiumque scientia Ecclesiis, rebusque publicis opus esse
obnixe igitur rogo, atque obsecro, ut vestrae liberalitatis copia tum meae, tum aliorum,
una mecum opus in Scholis facientium inopiae subveniat. Nos dabimus operam ut gra
ti, et memores simus, neque committemus, ut vestrae potestatis severitas ulla in
parte officii Scholastici industriam, fidem, et diligentiam nostram requirat. Lo
cupletet vos interim Deus sapientia, et consiliis salutaribus. Amen. Calendis
Novembribus 1572 in Schola vestra. Vestrae potestatis
imperiis subditus: Johannes Molang.

M. Carolo Mytellio Vesaliae.

Pax Christi.

Nr. 218) [= Moer. a. 72: Nr. 194]

Quod nobis negotii dederas vir eximie, id noster Caspar in me, ut plus habenti otii transmovit.
Quaesivi ergo, ut par fuit, sedulo, quid in ea re obtinenda vobis boni spei ostendi posset? Principio
non erit, ut opinor, tam grave periculum peregrinis in ista urbe, quam vobis vester animus praesagit, aut
quidam malevoli ominantur. Saepe antehac eiusmodi armatis edictis terruerunt inquilinos suos Colo
nia et Wesalia: Sed ea asperitas amoto metu paulatim elanguit, et habendi locum concessit.
Heu miseriam quam afflictae sunt nunc res omnium prope Ecclesiarum? quam dura conditio piorum?
qui ne in exilio quidem commorandi locum nancisci queunt? Equidem commoveor vehementer neque
dubito haec ea esse tempora, quae propter electos breviabuntur. Nobis quidem etiam nunc tranquilli
tas temporaria est: Sed quis potest eius esse suavis fructus, in tantis fratrum nostrorum periculis?
in tanta nostrarum Ecclesiarum internecione? Redeo ad id, quod expectabas, respondit ~~[illegible]~~ cons: Daniel
a Buren, cuius in primis auctoritate res magnae in hac urbe geruntur, quid de sententia curam litte
rarum ab eo consilium quaererem, Neminem hac urbe peregrinum hactenus prohibitum fuisse, si
quis vestrum huc velit, aedes conducere, et commorari, id tranquillum esse. Sed ei non probari, ut
solenniter aliquid in hac re fiat, neque ut formati multi: Sed paucis ut sparsim et distracti veniatis.
Intelliget hoc et vestra prudentia, si quando res eiusmodi publice tentantur, repente exortari sententias,
variari omnia in quaestionem, famam longe, lateque in vicinas civitates disseminari. Male autem iam pri
dem Bremenses audiunt apud reliquos Saxones, quod omnis generis doctrinae homines sibi adiungi pa
tiantur. Civium autem bellua quaedam multorum capitum cura est, cui quot capita, tot sensus.
Quas ob res ita rescribi cons. voluit. Si quis nobiscum velit vivere, in Dei nomine veniat, aedes conducat, et mo
retur, quiete sit, et res proprias agat, nemo adversabitur, nemo obsistet, post hunc alter erit, et
tertius, et quartus etc. ut cuique commodum videbitur, aut opus facto. Sunt in urbe multae familiae
Hollandicae, sunt ex Groningano agro non paucae, vivunt cum civibus non incommode, et communibus
bonis tranquille fruuntur. Ex his nemo ad magistratum adiit, postulans ut sibi uti esset commorandi